

015

013

019

009

024

004

064

114

Ende

Anfang

sublata pristina indole ordo foliorum et paginarum codicis interpositis numeris atque litteris (ut 12 A, 44 B etc.) exprimatur, et qui tertio volumini addentur indices, ad hunc numerorum et litterarum ordinem, non ad nostrae editionis paginas referri debeant. Sed in reliquis etiam minime archetypi colorem immutandum esse existimavi, ut veram fideliterque expressam haberet libri imaginem. Latino quidem sermone scripsit auctor, sed fere isto, qui epistolis obscurorum virorum ludibrio fuit, nec usui vocabulorum nec linguae legibus rectaeque scribendi rationi satis congruo. Nihil ego mutavi. Litteras majusculas et minusculas in scribendis nominibus propriis praesertim ita permiscuit, ut nec in errore ipse sibi constaret; sermonis discrimina minime curavit: expressit, ubi omittere debebat, omisit, ubi exprimenda erant. Omnia retinui, nisi quae ita comparata erant, ut lector videretur non posse in errorem non induci. His levem medicinam adhibui; caetera intacta reliqui; quare id oro rogoque, ut ne, quae ipsius libri indoles fuerit, sive meae negligentiae sive typographi errori tribuas. Quae difficiliora erant lectu, sive quae perraro quidem addenda videbantur, uncinis variae formae inclusa addito nonnunquam interrogationis signo explicanda putavi. Sed haec hactenus. Tu vero, benevole lector, fac, ut Fratris nostri Felicis Fabri et meum hoc opus felix, faustum fortunatumque sit, ne quem in edenda hac itineris descriptione pessimo quidem calamo scripta collocaverim, taedeat me herculei laboris.

Ulmae tertio ante Calendas Martias.

Editor.